



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 116. Sessio XL. Basileensis Concilii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](#)

cibus utriusque hujus delegati verbis s<sup>ecundu</sup>m*sæcul. XV.*  
firmatam esse, necnon Bohemis promi-*A.C. 1440.*  
fisse Concilium, quæ modo servare nol-  
let. Solo itaque hoc argumento, quod  
tamen nullatenus comprobatum redde-  
re poterant, suffulti, novam denuo qua-  
draginta quinque suorum articulorum  
professionem ediderunt.

### §. CXV.

*Basileensium conatus pro Felice tan-  
quam Papa agnoscendo.*

Cum Francofordiæ comitia, quorum  
supra meminimus, celebrarentur, Ba-  
sileenses missis ad Germaniæ Principes  
Oratoribus, Felicem tanquam verum Pon-  
tificem agnosci, & Neutralitatis, ut vo-  
cabant, decretum abrogari postulabant.  
Ast frustra erant eorum preces. Interim  
Felix, antequam Basileam peteret, Car-  
dinalem Arelatensem Apostolicæ Sedis  
Legatum creabat.

### §. CXVI.

*Sessio XL. Basileensis Concilii.*

Post hæc Basileenses congregati die vi-  
gesima sexta Februarii Sessionem or-*Labbe Conc.*  
dine quadragesimam habebant, in qua  
Felicem in sui electionem consensisse, ac  
*Felicitatis*

Sæcul. XV. Felicis quinti nomen adoptatio promulgatum est, ac confirmatum. Præterea anathematis poenam vibrabant in omnes cujuscunque demum conditionis ac status essent, qui eundem tanquam verum Papam suscipere detrectarent, ipsosque adeo Presbyteros sacerdotio privandos comminabantur. Innovabant etiam decreta adversus Eugenium condita, ea vero, quæ ab illo sancita, declarabant omnino nulla, iterato prohibentes, ne eidem, aut ejus mandatis quovis patro obtemperetur, & quicunque contravenirent, tanquam rebelles denuntiabant, Synodo & Felici reservata eos castigandi potestate. Cumque Basileenses Non-electi Pontificis, suorumque Officialium, ac Ministrorum necessitatibus subvenire meditarentur, nonnullas eidem Beneficiorum collationes, Annatarum loco, quas abolitas voluerunt, concedendas proposuere. Attamen huic consilio Germanorum nonnulli, Parisiensis Universitatis Delegati, & Gallorum quam plurimi adversabantur, obstiteruntque, quominus id decerneretur, antequam Provinciæ ea dare certiores fierent.

§. CXVII.